AD

SACRA NATALITIA

SERENISSIMORVM PRINCIPVM

CAROLI AVGVSTI

PRINCIPIS HAEREDITARII DVCATVVM VINARIENSIS
ET ISENACENSIS

ITEMQVE

FRIDER. FERD. CONSTANTINI

IN GYMNASIO WILHELM - ERNESTINO

IN A. D. IX SEPT. A. S. CIƆ IƆCC LXXI.

CELEBRANDA

INVITAT

Heinze

IO. MICH. HEINZIVS

GYMN. [redacted]

Ineſt Specimen Obſeruationum Liuianarum.

Livius

VINARIAE

LITTERIS GLÜSINGIANIS.

1421

Lectioni optimorum Graeciae Latiique ſcriptorum, in qua bonam partem temporis ac ſtudii collocare in ſcholis literariis ſolemus, non vnus finis eſt propoſitus. Non enim ſolum linguarum addiſcendarum cauſa inſtituta eſt; ſed etiam vt dicendi ſcribendique probatiſſima exempla, ad amandam colendamque orationis elegantiam, mature cognoſcant adoleſcentes; denique vt vtiliſſimarum rerum copia, tum ad acute iudicandum, tum vero etiam ad vitae vſum atque ad omnem honeſtatem inſtruantur. Quae omnia ſi obtineri debent, profecto non ſatis eſt, negligenter rem gerere, autorem vtcumque ad verbum germanice vertendo; quod exponere vulgo vocant perinepte: ſed magiſtro pariter ac diſcentibus, ſuae vtrinque partes, magno ſtudio et diligentia agendae ſunt. Primo quidem conſilium ſcriptoris et narrationis vel diſputationis ſeriem ob oculos habeant, aut, ſi animo elapſum ſit, ante omnia in memoriam reuocent: deinde ad ſingula verba et loquendi formulas mentem attendant, vt non modo eorum vim ſentiant, ſed etiam accurate interpretando adſequantur: porro, ſi quae prorſus obſcura vel forte corrupta inciderint, et in mendo iacentia, magiſtro, obſcuritatis cauſam rimanti, vel eandem illuſtrando et emendando tollere tentanti, diligenter auſcultent tirones, ne, quod turpiſſimum pene inſcitiae genus eſt, quae parum intelligunt, et, quae ne poſſunt quidem intelligi, vel a doctiſſimo, credant ſe intelligere: denique ſuper bene intellectis philoſophentur, ſed paucis, et rectene an

ſecus dicta ſint, quid pulchrum in verbis et eorum delectu, quid verum bonumque ſententiis inſit, iudicent, et ad prudenter viuendum, vel ad mores orationemue formandam transferant.

Hanc bonos libros interpretandi rationem, quam omnes, qui in recta inſtitutione aliquid ſapiunt, vnice veram optimamque exiſtimant, cum nos quoque omni tempore tenuerim, expertus ſum non ſine voluptate, claſſicorum autorum lectione plerisque adoleſcentibus nihil eſſe iucundius, eosque Xenophontem, Ciceronem, Ouidium, Liuium, cupide admodum cognoſcere. Idem tamen etiam illud, tum alibi antea, tum hic obſeruaui, ſolere fere plerorumque attentionem frigeſcere, cum ſingula verba, praeſertim alias non ignota, curatius explicantur; ſiue, quod credant, ſe illa olim ſatis didiciſſe; nec, quae nunc a magiſtro addantur, magnopere ad ſe, vel ad rem pertinere; ſiue quod nimis ſaepe audiunt per eam occaſionem, dediſcenda ſibi eſſe, quae olim pueris ipſis ſollicite ſint inculcata. Neque enim ſatis aequo animo ferunt multi, vocabula *oportet, poenitet, fortuna, legem ferre, autoritatem, remp. dignitatem, ciuitatem, carmen, celebre, clarum, plebem, ſcelus, inuidiam, crimen, conſilium,* itemque *conuincere, conari*, et alia infinita, non ſemper, aut raro, aut nunquam ea, quae didicerint, ſed alia omnia, ſignificare, ſeque toties reiici cum infauſto vocabulario ſuo, cuius ſapientiam tanto labore ſibi conſtitiſſe recordentur, et quam nunc pro ſtultitia iubeantur abiicere. His de cauſis, quibus etiam ſolemnem huic aetati minutarum rerum, (quales certe ipſis videntur) contemtum annumerare licet, credibile eſt, adoleſcentes eſſe negligentiores, vel alienos adeo ab hac verborum curatiori philologia, ſine qua tamen neque ſolidior interpretatio, neque ſtili vlla elegantia locum habere poteſt. Quare iſta de verbis ſingulis eorumque vario ſignificatu et vſu philoſophia, tironibus vel maxime eſt commendanda, neque committendum, vt credant, aliquem vel recte intelligere bonos autores, vel laudabiliter ſcribere, niſi ſingulorum, vel in ſua, vel in aliena ſcriptione, verborum accuratam rationem reddere poſſit. Quod vt facilius noſtri nobis credant, iuuat edere ſpecimen aliquod talium obſeruationum in loca aliquid obſcuritatis habentia, quales in interpretatione autorum quotidie occurrunt; vt vel inde intelligant, non eſſe talia contemnenda, quod etiam publice proponi non viſa ſint indigna.

Tracta-

Tractauimus nuper in Gymnasio partem Chrestomathiae Liuianae a Clariss. BAVERO editam, et adnotationibus bonae frugis plenissimis instructam. Ibi cum quaedam, vt fit, nobis occurrerint, vel dubiae, vel obscurae interpretationis, vel etiam leuiter deprauata, ea hic cum qualicunque sententia mea modeste recensebo, non doctiorum in gratiam (quamuis vere talibus placuisse in magno lucro sim positurus) sed, vti dixi, auditoribus nostris, vt his aliquam interpretationis meditationem praebeant.

Lib. I. c. 8. de Romulo scribit Liuius: *Cum iam virium non poeniteret, consilium deinde viribus parat. Centum creat senatores.* Hic iam nihil de voce *poeniteret.* Quamquam enim notabilis in ea latinismus, nec licet ex vocabulario vertere *gereuen*, sed idem est ac displiceret, et vertendum, Da er sich nun vor stark genug hielt, siue, Da er mit seiner Stärke ziemlich zufrieden war: tamen nunc videbo potius de altera voce *parat*, quam non vnus vir doctus exponit per *aequat.* vereor, vt recte. Quamuis enim, si etymon spectes, *parare* idem est, ac parem facere, aequare: tamen h. l. istam notationem premere mihi putidiusculum videtur; cum non indicare velit Liuius, Romulum id egisse, vt *par* vel *aequale* faceret consilium viribus suis, sed curasse eum, vt his viribus instructus, etiam consilio polleret. Antea enim, asylum aperiendo, de viribus parandis cogitauerat, nunc, paratis viribus, curat, ne viribus desit consilium. Sed quid hoc *consilium?* Senatum intelligi docet, quod statim sequitur: *Centum creat senatores.* Quomodo vero? Vt designet ipsum conuentum consulentium, senatorum? An eo potius sensu, quo consilium dicitur pro ipsa prudentia seu prudenti iuuento, vt *Gronouius* loquitur ad Liu. 44, 2? Mihi quidem posterior ratio magis placet, et credo, respexisse *Liuium Horatii* nobilem sententiam, quem per temporum rationes legere potuit, et legit procul dubio poetam, qui Augusto Caesari fuerat in deliciis: *Vis consili expers mole ruit sua.* Quibus sumtis haec erit Liuianorum verborum sententia: „Cum iam „collectarum per asylum virium haut poeniteret, curat quoque, ne „istae vires consilii essent expertes. Centum ergo creat senatores etc.

ib. c. 25. extr. legitur sic: *Romani ouantes ac gratulantes Horatium* (victorem ex pugna cum Curiatiis) *accipiunt: eo maiore cum gaudio, quo prope metum res fuerat.* Ad quem locum Clariss.

 BAVE-

Baverus: *Elegantius hoc*, inquit, *Sigoniano*, propius. *Notior res, quam vt verbum addam.* — Recte nota res, nempe doctis, sed non item tironibus, apud quos etiam credo eum verbum addidisse. Certe nec Drakenborchivs, nec ante eum Io. Fr. Gronovivs indignam putarunt, quam multis exemplis docerent, et vindicarent, nimirum ex praecedenti comparatiuo, *maiore*, repetendum esse *magis*, quod illo tanquam inuolutum sit. Simile exemplum infra habebimus ex c. 40.

ib. c. 26. *Verbera vel intra pomoerium, modo inter illa pila et spolia hostium*, rel. Sermo est de supplicio ex Horatio sumendo, parricida sororis. Quid hic pila hostium? Pilum esse proprium Romanorum telum vulgo notum est: hostes sunt Curiatii tres interemti et spoliati. An igitur hi pilis pugnauerant? Non est credibile. Armorum enim tantum, h. e. clypeorum, et gladiorum mentionem fecerat historicus c. 25. Hinc *pilam* correxit olim Lipsivs ad Tac. Ann. 14, 8. probarunt Gronouius et Drackenborchius, intelligentes columnam s. columellam (στηλίδα apud Dionys. Halicarn.) h. e. tropaeum, vel ex trunco arboris, vel lapideum, ex quo suspensa Curiatiorum spolia. Ergo in hoc, *pila et spolia hostium*, est etiam Hendiadys, vsitata figura non modo poetis, verum etiam historicis et oratoribus, et augendae rei inseruiens. Quare vero docti viri non ponunt in contextu Liuiano *pilam*, sed *pila* relinquunt, quae damnant? Scilicet quia *pilam illam*, quamuis vera lectio est, nondum in veteri Codice est repertum; cuius legis tenacissimus solet esse criticorum modestissimus quisque.

ib. c. 34. De Tarquinio Prisco. *Notitiamque eam breui apud regem liberaliter dextreque obeundo officia, in familiaris amicitiae adduxerat iura.* Recte, si quid video, Cl. Baverus, duriorem vocat hanc phrasin *Notitiam in iura amicitiae perducere;* et iniquum puto *Rhenanum*, qui emendationem *Notitiaque eum - - in familiaris amicitiae adduxerat iura*, adulterationem vocat, quam etiam sciolo tribuit: Drackenborchivs autem, qui eiusdem vestigia in libris antiquis vidit, nimis forte tenax vulgatae videatur: Verum cum pergit vir doctissimus: Officio *legit Gronouius non sine autoritate, sed praue, vt opinor, et nullo sensu*: haut multo minorem ad iniquitatem, quam modo Rhenanvs, mihi videtur deflectere. Gronouianam mutationem satis magna autoritate destitui, fateor; eandem videri

videri *prauam*, h. e. illegitimam, ac superuacuam, nolim infitiari: verum, quod addit, *sensu carere*, id mihi quidem nimium videtur. Quid enim? An non *officium* recte ponitur pro officiis, collectiue? Atqui Cicero ipse dubitauit, librosne suos inscriberet de Officiis, an de Officio: et illud praetulit, quod plenius ipsi sonabat: Ad Attic. 16, 11. Illud autem *Ego omni officio ac potius pietate* etc. quem fugit? Porro, annon *officium* dicimus *obire*, siue illud intelligamus, quod ex lege vel voluntate superioris facimus, siue quod amicitiae aut honoris, et obseruantiae causa alteri praestamus, veluti deductiones, salutationes, et caetera, quibus aulici homines principem, patronum clientes colunt? Idem vero *liberaliter*, non seruiliter arrependo, et *dextre*, h. e. opportune decenterque fieri posse, quis dubitet? Itaque quid sit in ista emendatione Gronouiana sine sensu, fateor me ignorare, nisi forte viri eximii mentem parum adsecutus sum. Nam de eo sensu, quo semibarbari *officium* dicunt, pro munere (ein Amt) hic certe non erat cogitandum.

ibid. c. 40. Exponit Liuius causas coniurationis filiorum Anci in Tarquinium: qui locus quaedam continet, quae offenderunt criticos, alia etiam, quae debebant offendere. Ac primo istud, quod ἀνακόλουθος est prima periodus, quae incipit: *Tum Anci filii duo, etsi antea semper etc.* parum aduertit viros doctos, vt eam legitimae formae suae restituerent, cum nihil esset procliuius, et eiusmodi anacolutha in tali scriptore, non temere sint admittenda; quippe quae in oratione excusationem facilius inueniunt, quam in historico. Erat autem facile attentius legenti ad videndum, pro *tum impensius his indignitas crescere*, Liuium scripsisse, *tamen imp. h. iud. cr.* scilicet putabatur; (quod ex praecedenti *habuerant* supplendum, vt supra c. 25.) maxime cum eo vocarent etiam libri, quos Drackenborchius laudat; et aliis exemplis constaret, *tum* et *tamen*, propter scribendi compendia, commisceri; quae sane omnia ad repudiandam lectionem vulgarem criticis millies sufficere sunt visa. — Contra vero in enumeratione causarum, quae filios Anci in Tarquinium stimularunt, multum laboratum est. Mihi, ne longus sim, tres ponere videtur Liuius, 1) indignitatem rei ipsius, seu dedecus tum commune Romani nominis, tum praecipue domus suae, si Anci regis virili stirpe salua, non modo aduenis, sed seruis etiam regnum Romae pateret.

teret. Atque haec prima cauſa vel ſola fecit, vt ferro, nempe in Tarquinium ſtringendo, eam contumeliam arcere illi ſtatuerent: 2) dolorem iniuriae a Tarquinio acceptae, quam paulo ante *fraudem tutoris* vocauerant, qua regno fuiſſent expulſi: 3) metum, et quidem duplicem; alterum vltionis grauiſſimae, ſi ſupereſſet rex; alterum noui generi, regnique haeredis a Tarquinio deligendi. Has poſtremas cauſas cum ſic continuet hiſtoricus: *Sed et iniuriae dolor in Tarquinium ipſum magis, quam in Seruium, eos ſtimulabat: et quia grauior vltor caedis, ſi ſupereſſet, Rex futurus erat, quam priuatus: tum, Seruio occiſo, quemcunque alium generum delegiſſet, eandem regni haeredem facturus videbatur:* male habet GRONOVIVM et cum BAVERO DRACKENBORCHIVM illud *quia*, quod eſt in omnibus libris, non ſua culpa, credo, ſed leui quodam errore doctiſſimorum hominum, qui hanc ſuſpicionem, pro ſua humanitate mihi ignoſcant. Si enim in mentem ipſis veniſſet hoc loco, quod probe nouerant, primam illam *et* accipere pro *etiam*, et poſt *tum* placuiſſet *quia* repetere, mitiorem, niſi omnia me fallunt, ſententiam de ea tuliſſent. Sic enim verti poteſt illa ῥῆσις: Aber auch der Verdruſs über die erlittene Beleidigung reitzete ſie ſtärker wider den Tarquin, als wider den Servius: desgleichen die Betrachtung, daſs der König, wenn er leben bliebe, ihren Todtſchlag ſchärfer rächen würde, als ein gemeiner Mann: und endlich, weil derſelbe, wenn Servius todt wäre, doch einen andern Eidam erwählen, und denſelben zum Erben des Reichs ernennen könte. Supereſt tertium offendiculum, in verbis, quae ſtatim ſequuntur: *Ex paſtoribus duo ferociſſimi delecti ad facinus, quibus conſueti erant vterque agreſtibus ferramentis, in veſtibulo regiae, quam potuere* tumultuoſiſſime, *ſpecie rixae, in ſe omnes apparitores regios conuertunt.* Hic *tumultuoſiſſime* non habet, quo referatur. Nam *tumultuoſiſſime conuertunt* parum congruit, vt recte Cl. BAVERVS: vnde ſuſpicabatur *tumultuoſiſſimae*, vt pertineret ad *rixae*: ſed non ſatis ſibi ipſe probat. Quid ſi *tumultuoſiſſimi* dedit Liuius? Certe videntur omnia commodiora, ſi hoc adiectiuum more participii poſitum ſumas et ſic vertas. Sie lermten auf der Treppe der Curie, mit ihren gewöhnlichen Hirtenkeulen, ſo arg ſie nur konten, als ob ſie ſich ſchlügen, und machten damit, daſs alle Bedienten des Königs herzu lieffen.

ibid.